DE ANCYLOSI

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICO - CHIRURGICA,

QUAM

CONSENSU GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

PRO SUMMIS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS

RITE IMPETRANDIS

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

JOSEPH. ADOLPH. LUDOV. BROGI

POSNANIENSIS

DIE XXXI. M. OCTOB. A. MDCCCXVI.

BEROLINI.

TYPIS JOANNIS FRIDERICI STARCKII.

Οὐ δι᾿ ἑαυτὰ δέ τὰ ἄλλα πάντα τὰ κατά τὴν τέχνην ἤ μανθάνομεν, ἤ διδάσκομεν, ἤ ὅλως ἀκούομεν, ἄλλ᾿ ὅτι τῳ τέλος χρήσιμον ἕκαςον ἄυτων γίγνεται.

ΓΑΛΗΝΟΣ.

PRINCIPI SERENISSIMO,

ILLUSTRISSIMO,

ANTONIO RADZIWILL,

PRAETORI, REGIS AUGUSTISSIMI PARTES IN MAGNO DUCATU POSNANIENSI AGENTI,

SUMMO PATRIAE DECORI,

PATRONO

CLEMENTISSIMO, INDULGENTISSIMO,

HAS PRIMITIAS ACADEMICAS

PIAE VENERATIONIS GRATISSIMIQUE ANIMI

EXIGUUM DOCUMENTUM

CONSECRAVIT

AUCTOR.

DE ANCYLOSI.

§ 1.

Antequam ad ipsam aggredimur morbi expositionem, qui aliis Anchylosis, Ancylosis, Ankylosis; aliis Ancyle, Ankyle dicitur: de nominis significatione et origine pauca praemonere non ab re videtur. Plurium morborum exemplo, quos Veteres a symptomate ad veram morbi notionem plane non necessario nominarunt, *Ἀγκύλωσις* ab *ἀγκυλόω* (curvo) originem ducit. Curvamen enim artuum quamvis saepius hunc morbum comitetur, tamen etiam abesse salvo nomine solet; v. g. in maxillae inferioris ossiumve pubis concretione.

§ 2.

Recenti cicatrice contractos articulos *ἀγκύλας* Graecis vocatas esse, a Celso traditur: [1]) unde patet, eos hoc verbo veram ancylosin designasse. Boerhavius *ἀγκύλωσιν* immobilitatem articulatio-

1) lib. V. cap. 18.

nis cum tumore duriori interpretatur [1]); quod van Swieten ita commutavit, ut eam flexibilitatem ablatam dixerit, quam saepe tumor praeternaturalis comitetur. [2]) Utriusque auctoris definitioni symptoma tumoris inest, quo aegri non raro carent; quin imo reperiuntur, quorum in membro immobili vel marcor adsit.

§ 3.

Ubi igitur de Ancylosi, strictiore verbi sensu, loquimur; Celsi definitio mihi quidem prâeferenda videtur. Quodsi quis et eum valetudinis statum definitioni inesse voluerit, cui spuriae vulgo Ancyloseos nomen tribuunt; tum Ancylosin sublationem vel magnam imminutionem mobilitatis dixerim.

§ 4.

Divisio Ancyloseos, qua omnes fere iam dudum usi sunt medici celeberrimi, in veram et spuriam bipartita, etsi non immerito a nonnullis vituperetur, meliori tamen nusquam reperta, et mihi adhibenda videbatur. Iis solummodo fas erit contradicere scriptoribus, [3]) qui veram a spuria eo differe opinati sunt, quod in illa mobilitas

1) Aphor. de cognosc. et curand. morb. § 556.

2) Commentar. in Herm. Boerhav. Aph. § 556.

3) Böttcher über Krankheiten der Knochen etc. T. 3. p. 223.

Arnemanns Magazin 1r Bd. 1s St. § 10.

plane ablata, in hac tantum imminuta sit. Quis enim chirurgiae peritus completam illam artuum immobilitatem, quae a sola rheumatica musculorum contractione proficiscitur, verae ancyloseos nomine vocandam censebit? Qua mihi arctissimi utrique speciei fines circumscribi videntur, ea est definitio, quae verae ancyloseos nomine facierum ossium articulatorum concretionem, spuriae immobilitatem sine concretione amplectitur.

I. *Ancylosis vera.*

§ 5.

Dignoscitur hic morbus immobilitate artuum perfecta, ex sola ossium concretione derivanda. Vel uni, vel pluribus inest articulis. In celeberrimo museo anatomico regio Berolinensi sceleton servatur, cui omnes articuli concreverant, exceptis claviculis, ossibus pubis et maxilla inferiore [1]). Columbus Romae vidit senem, cui omnes articuli rigebant. [2]) In operibus Academiae Parisiensis exemplum infantis bimi exstat, cujus totum corpus ex uno osse consistere videbatur. [3])

1) Joh. Gottl. Walther Museum anatomic.

2) de re anatomica lib. 15.

3) Memoires de l'academie des sciences l'an 1716. Hist. pag. 30.

In aliis articulis saepius, in aliis rarius An loses verae observantur. Sic costae primae cc cretiones saepissime eveniunt. Maxillae vero ferioris concretae pauca exempla invenies ap Sandifortium [1], Columbum [2]) aliosque. Ra simae ancyloseos ossium pubis exempla not dignissima idem Sandifortius [3]), nec non M chell, [4]) descripserunt. Aliae insignes ancy sium enarrationes leguntur apud Sieboldum, K pfium, Bonnardum, Waltherum, [5]), Hildanum et Bonnium. [7])

§ 6.

Origo Ancyloseos verae saepius proficisci a fracturis prope articulum factis, si callus lux rians etiam in cavum articuli penetret, ejusq partes simili ratione ossifaciat, qua natura omn ossa ex cartilaginibus fabricatur. Haud r ius post cariem articulorum ancylosis sequit Ossium enim capita a suppuratione denudata s co suo nutriente coniunguntur; unde eo facili concretio nascitur, quo minus medicus curat, artus affecti moveantur.

1) Observation. anatom. path. Lib. I.

2) l. c.

3) l. c. lib. II.

4) de Synchondrotomia pubis. Amstel. 1783.

5) l. c.

6) de Ichore et meliceria.

7) Andr. Bonn. descript. ossium morbosor. Hovian.

Internas ad causas Arthritis, Rhachitis aliaque dyscrasiarum genera pertinent, metastasin, uti videtur, in articulis procreantia. Arthritida enim et rhachitida prae aliis morbis pronas esse ad calcaream phosphoricam, qua tela ossea formatur, generandam, certissima documenta probarunt. Praeterea synoviae secretio imminuta, siccitas inde articulorum, qua cartilagines fortasse deteruntur, ossiumque extremitates denudantur, ancylosin possunt gignere. Deinde et spuria persaepe in veram transit, si causae amoveri nequeunt. Tum enim vel ossium concretio ex eodem fomite originem sumit; vel ligamenta propter nimiam quietem perpetua contractione condensantur tandemque ossescunt.

§ 8.

Malae prognoseos vera ancylosis est, nullo adhuc medicamine reperto, quod ossa concreta disiungere valeat.

§ 9.

De medela igitur morbi omnino desperandum est, ni forte primam mali scintillam cura prophylactica suffocet.

II. *Ancylosis spuria.*

§ 10.

Spuria est ancylosis, cujus causa proxima ossium concretione sita non est. Proficiscit enim vel a ligamentis, vel a vicinis articulo par bus, vel ab artuum musculis, vel variis ab ossiu morbis, excepta eorundem concretione.

§ 11.

Morbi vero causas in disponentes et occasi nales distribuerunt.

Causae disponentes.

Pnonissimos in hunc morbum reddit fibr rigida. Hinc cholerici homines bruneique colo ris non raro artuum immobilitate laborant; sa pius viri mulieribus, adulti adolescentibus; max meque proclives in eum senes videmus, quorur corpus minus glutenis lymphaeque, plus calcarea phosphoricae generat. Synoviae quoque secre tione imminuta, musculis contractis, ac ligamer tis occallescentibus vel osseam in telam mutat omnes nonnunquam senum decrepitorum articu obrigescunt. Eodem modo nimius labor, qu fibra induratur, aetati virili senectutis rigiditater imponit. Arthritis denique, rheumatismus, s philis, impetigines, aliaeque id genus aegritudin Ancylosi spuriae viam aperiunt.

§ 12.

Causas occasionales tractabimus pro diversitate organorum, quibus laesis articulorum immobilitas gignitur. Ligamentorum vel minima affectio plus minus articuli motum perturbat. Quem inflammatio eorum, ipso dolore atque tumescentia motui inimica, vehementiorem in modum ac longius in tempus exitu suo prohibet.

§ 13.

Cum enim rarius in solutionem transeat: tum et hunc felicissimum inflammationis exitum membranae synovialis debilitas plerumque sequitur, synoviae secretionem vel augens vel minuens, ut hydrops vel siccitas vel erosio ligamentorum partiumque vicinarum inde oriatur.

Suppurationis vero exitus, ad quem ligamenta pronissima sunt, facillime empyema nec non ossium partiumque mollium innumeras laesiones procreat: sin faustissimus acciderit eventus, cicatrice exorta breviora redduntur ligamenta. — Deinde induratio et pseudorganisationes ex eodem inflammationis fonte scaturientes, ancylosi generandae occasionem praebent. Synoviae inspissatio, licet nonnulli id perhibeant, mihi quidem motum impedire non videtur, cum etiam a den-

sissimo muco superficies glabras lubricari experientia evincat. [1])

§ 14

Secundus causarum ordo tumores organorum articulos ambeuntium complectitur, motui contrarios, v. g. ganglia, fungos, sarcomata, hydropem.

§ 15.

Sicuti concretio ossium veram ancylosin, alii eorum morbi spuriam generare valent. Primo de tumore in extremis ossibus dicamus, ex quo articulorum immobilitas nacitur. Hic vel tota eorum capita turgescunt, vel in certo tantum articuli loco prominentia exoritur, vel exostosis extra articuli cavum talem locum tenet, ut motus deleatur.

§ 16

Deinde fracturae luxationesque, partes prope vel intra articuli cavum sitas afficiendo, mobilitatem auferre possunt. Si fractura usque ad ossis caput pervenerit; callus luxurians saepe tubera in articuli cavo producit, quibus motus vel impeditur, vel plane tollitur. — Membrana synovialis, ligamentum capsulare cingens, facile in-

1) Isenflamm Versuch einiger praktischen Anmerkungen über die Knochen.

flammatur, quo fit, ut synoviae secretio ant augeatur, aut minuatur, aut alienetur; unde hydrops, vel siccitas, adhaesio concretioque ligamentorum, eorumve erosio, corruptio. Similis effectus nimiam membri fracti quietem sequi solet.

§ 17.

Quod vero luxationes attinet, non solum quamdiu e cavis suis recesserunt ossium extrema, mobilitatem artus impediunt, sed etiam repositione felicissime peracta saepius ancylosis spuria relinquitur. Mollibus enim pressis distractisve partibus orta ligamentorum inflammatio ac suppuratio non raro cartilaginum ossiumque morbos producit, quibus talis saepe pernicies articulo paratur, ut munere suo omnino fungi non possit.

Non secus ac luxatio caries ossium in ligamentorum aliarumve articuli partium suppurationem et corruptelam inclinat, quas Ancylosis saepius comitatur.

Eodem modo thlasmata et diastases ligamenta laedere ita possunt, ut Ancylosis inde nascatur.

§ 18.

Jam vero ad quartam morbi classem pervenimus, cui musculorum aegritudo subest, vel flexoribus tantopere contractis, ut extensorum actio-

nem prohibeant, vel vi extensorum ita aboleta, ut flexoribus a natura oppositis non sint pares. Alia immobilitatis causa ex eodem fonte fluit, si flexorum vel extensorum continuitas ruptura vel incisione ablata fuerit.

§ 19.

Morbi topici, Ancylosin spuriam gignentes, quorum hucusque mentionem fecimus, nunc localibus, nunc generalibus e causis semina trahunt. De fracturis, luxationibus et aliis huiusmodi satis fere diximus. Superest, ut de quietis artuum diuturnae sequelis pauca commemoremus. Hinc ancylosin provenire in fracturis nimis saepe experientia docemur, in quibus summa artificis cautela opus est, ne nimia quies artus immobiles reddat. Magnis doloribus laborantes aegri, metu, ne cruciatus augeantur, a quolibet artuum motu deterriti, Ancyloseos periculum subeunt. Nec praeter rem erunt, quae Isenflamm narrat: [1]) Nonnulli viri crudeles perfugas milites deprensos ita puniunt; ut genu valde curvato pedem catena brevissima humero alligari jubeant, nec prius vinculo liberent, quam plures menses ita commorati sint. Tum sane miserrimi, ancylosi genu et pedis laborantes, fugam iterum tentare non possunt,

1) l. c.

nec ad aliud negotium sunt apti, nisi quod manibus perficiatur.

§ 20.

Inter causas generales eminent dyscrasiae, inprimis arthritis et rheumatismus chronicus, syphilis et rhachitis; verum etiam exanthemata, impetigines etc. artus mobilitate destituere possunt. Similiter morbi e metallorum abusu proficiscentes ancylosi procreandae symbolam suam conferunt, maxime vero saturnalia propter vim exsiccantem et contrahentem timenda sunt.

§ 21.

Cura ancyloseos spuriae vel adversae totius corporis valetudini mederi conatur, vel eum solummodo locum spectat, in quo morbus topicus domicilium fixit. Prior therapiae pars, qua tanquam prophylaxi simul uti possumus, generales inprimis et praedisponentes causas respicit. Huc refer fibram rigidam ac quae eam procreare solent, ut aetas senilis, labor pergravis etc. Hac corporis affectione laborantibus nutrimenta aquosa e regno vegetabili sumta, quies, labor exiguus, somnus sufficiens conducent. Optime divus Hippocrates, pater ille artis medicae: *Ὁκόσοισι δ' αὖ ὑγρασίη ξυμφέρει, μὴ ἀσιτέειν καὶ τῦ σιτίυ καὶ τῦ ποτῦ μὴ ἐνδεᾶ εἶναι, μηδὲ πονέειν, καὶ κοιμᾶσθαι ὁκόσα ἂν ἐθέλῃ.* [1])

1) de affectionibus cap. 12.

§ 22.

Alter hujus morbi fons e dyscrasiis supra memoratis prosilit, quibus singulis nisi aptam adhibeamus curam, morbus ipse sanari nunquam poterit. Sic in syphilide mercurio, in arthritide et rheumatismo sulphure, aconito; in rhachitide victu animali, calamo, rubia tinctorum, mercurio, antimonio utemur. Contra plumbi, hydrargyri, aliorumque metallorum abusum sulphur, opium etc. porrigemus.

§ 23.

At vera ancyloseos medela, etsi methodum modo expositam, quae morbi radicem evellere conetur, nunquam negligere debeat: tamen plerumque ad aegritudinem localem exstinguendam non sufficiet; sed saepissime semotis causis vitia articulo tantum inhaerentia pristinae anomatiae tanquam vestigia pertinacissima remanent. Haec igitur pars conaminum nostrorum maximi momenti est, summaque medentis attentione digna.

§ 24.

Eam autem curae partem, quae vitium topicum amovere studet, in duos rursus ordines dividemus; quorum alter de cura locali in genere disseret; alter partis cujusvis affectioni emendandae operam navabit.

§ 25.

Ordo primus therapiae localis sequentibus nititur indicationibus:

1. Relaxa;
2. Emolli et resolve;
3. Excita; ut humores stagnantes corrigi vel amoveri possint.
4. Resorptionem erige prostratam.
5. Extende partes aegrotas.

Methodus, qua celeberrimi artifices utuntur, resolventia in partes contractas infricari, tum vero eas sensim sensimque extendi vel flecti, pannoque laneo calidis irrorato circumvolvi jubet.

§ 26.

Omnibus remediis ad locum male affectum adhibendis olea pinguia praeferre nequidquam haesitamus. [1]) Quorum optima ex animalium pinguedine praeparantur; sed ex plantis quoque recenter et frigide expressa olea pinguia, unguentum de althaea etc. egregium praebent effectum. Celeber Aegineta hydrelaeo utebatur, in quo semina lini, foenum graecum, radicem althaeae etc. decoqui jusserat. His remediis partes male affectas bis vel saepius quotidie per dimidiam horam bene inungimus, membrumque simili-

1) Hufeland im Journ. d. pr. Arzneik. Bd. 10. St. 4. Über den grofsen Nutzen des Oels in der Medizin.

bus medicamentis continuo irroramus. Sùmmo levamini est, si artum saepius de die vaporis balneo, totumve corpus tepido exponimus. Articulus deinceps cataplasmate emollienti tegitur, cui sapo niger admixtus fuit.

§ 27.

Ad medicamina resolventia accedunt remedia vi excitandi a natura praedita. Pulcherrimi fomentationum balnearumque ex sicera paratarum exstant successus. — Theden, Swieten, [1]) aliique medici summa embrocham laude efferunt, cujus egregiam efficaciam vel difficillimis in morbis observarunt. Fluidum tepidum colatum ex alto in partem affectam lento stillicidio semel aut bis quotidie vel tertio quoque die per dimidiam totamve horam delabatur. Latici ad embrocham adhibendo Theden balsamum vitae externum H., Böttcher [2]) sal ammoniacum admiscet. Swieten minerales laudat aquas, quarum defectum mixtura ex vino, sale, aceto et urina sana, additis herbis aromaticis, suppleri jubet. Fomentationum quoque formam haec medicamenta induere possunt. —

Magnam etiam ammonium mali sedandi vim exserit. [3]) — Sunt, qui fomentationes ex solutio-

1) l, c.

2) l. c.

3) Petit traité des maladies des os.

ne salis ammoniaci in aqua teqida paratas multum celebrent. Trampel [1]) felicissimos vidit successus a decocto radicis bryoniae, cui sal culinare et acetum addiderat.

§ 28.

Quae calcis antimonii sulphuratae sit virtus egregia, non semel observavimus suspeximusque. Quod artis praesidium illustrissimus Hufelandus, praeceptor pia mente colendus, cuius tot eximia de medicina merita exstant, et ad bibendum et ad balneum commendavit. [2])

Ac quae Aquisgrani ebulliunt thermae, nec non aliae balineae sulphuratae Ancylosi laborantibus multum levaminis afferunt.

§ 29.

Neque vero electricitas, cuius haud satis adhuc intellecta vis multis in morbis palam constat, Ancylosi sanandae opem suam prorsus denegat. Nec spes majorum egregii medicaminis successuum deest; si nox, qua eheu! vis illa adhuc premitur, eruditorum industria tandem dissipata fuerit. Hutchinson [3]) ancyloscos maxillae a causa rheumatica contractae (cui ipse tetani rheumatici

1) Arnemanns Journ. Bd. I. 1tes Stück.

2) Hufeland l. c. über die Wirkungen eines neuen Mittels, der calx antimon. sulphurat.

3) Memoirs of the medical society of London.

nomen imposuit) historiam refert, contra omnia medicamina septem per menses rebellantis, sed ab electricitate brevissimo tempore devictae. Sic et Aasheim sese ancylosin genu scrophulosam, qua puella diu laboraverat, balneo electrico perfregisse narrat. [1])

Nec non cauterium et actuale [2]) et potentiale suae hoc in morbo virtutis praebet documenta.

Aqua saturnina a Goulardo in Ancylosi quoque toties laudata parum levaminis aegrotis attulit. [3]) (v. § 20.) Nec magis sequemur consilium divini Hippoccratis, [4]) qui frigus commendat, cum omnia hujus morbi remedia calide esse adhibenda, tot saeculorum experientia doceat.

§. 30.

Patet ex supra dictis, dum relaxantia et emollientia infricantur, artum leniter movendum esse. Operae pretium videtur, instrumenta aliqua nominare, quae per inunctionum intervalla membrum extensum retinent. Machinarum a Bello Welsone, Goocho et aliis inventarum descriptio

1) Acta Reg. Societat. Havniensis.

2) Nadau in: Journal de medecine, chirurgie, pharmacie T. LXXIV.

3) Richtiger Gebrauch des Bleyextrakts. Halle 1783.

4) Aphorism. 25. Sect. V. *Τά δέ ἔν ἄρθροισιν οἰδήματα καὶ ἀλγήματα ἄτερ ἕλμεος τὸ ψιχρόν πολλόν καταχρεόμενον ῥηΐζει τε καὶ ισχαίνει.*

egitur apud Bellum [1]) et Böttcherum. [2]) Scamna nunc ad usum maxime idonea invenerunt Köhler et Trampel. [3])

§ 31.

Hactenus de cura topica in genere locuti sumus. Non raro autem morbi causa ab uno tantum organo pendet. Tum pro organi hujus diversitate cura instituenda.

Ligamenta in aliis aegris synovia indigent, in aliis abundant. Quodsi defectus synoviae siccitasque inde orta morbum generarunt; diaeta roborans et nutriens, methodusque humectans adhibeantur. Sin nimis magna synoviae copia secernitur, inprimis ubi tumor ac dolor urgeant, venae sectionem commendabimus, partemque affectam pannis laneis tepidis teremus. Fomentationibus resolventibus herbae aromaticae, balneis aqua calcis, sal culinare, vel sal ammoniacum admisceantur.

§ 32.

Major curam premit difficultas, si hydrops, empyema, vel sanguinis accumulatio morbi causae exstiterunt. Facilius tamen hydrops dissipa-

1) Syst. of surgery T. V.
2) l. c.
3) l. c.

tur. Membrum pannis laneis terimus, qui succino, mastyche vel olibano suffiti erant. Nec non embrochae, vesicatorium, atque medicamenta interna roborantia et diuretica magnam hic gloriam adepta sunt. Omnibus deinum his artis praesidiis frustra adhibitis, periculoque minitante, operationem aggrediemur.

Aliter plane res se habet, ubi sanguinis purisve in articulo adest accumulatio. Quo utroque cum ossa ligamentaque corrumpantur, incertum operationis periculum, quod summa artificis diligentia valde minuitur, certo ac majori discrimini praeferimus, ex ossium depravatione oriundo.

Ad operationem locum eligimus aponeurosibus musculisque quam minime tectum, partemque affectam ita disponimus, maxime ut declivis sit, ille locus, ne quid celerem contenti liquidi exitum impediat. Summopere vero caveri debet, ne in articuli cavum intret aër, qui magno discrimini facillime ansam praebet. Hinc ubi, tensa cute, partem lanceola pertudit chirurgus, fluido emisso, pellis statim contrahenda vulnusque tegendum.

§ 33.

Concrementa in articuli cavo, tumoresque extra synovialem capsulam siti, resolventibus medicamentis refractarii, cultro chirurgico removeantur.

§ 34.

Ubi in fractura de ancylosi metuimus; pars laesa sic disponitur, ut callus pondere suo versus locum ab articulo remotiorem derivetur. Tum inter articulum locumque fractum splenia ponimus, fascia leniter pressa. Denique articuli motus non est negligendus.

§ 35.

Etiam a luxatione quandoque ancylosis oritur. Hic si ossis articulati extremitas iam in cavo suo recondita jacet, partesque molles contusione laborant; sanguis mittatur, cataplasmata resolventia applicentur, donec dolor tumorque evanuerint. Deinde articulus saepius moveatur. Sin os in cavum suum restitutum non fuit; inflammatione, duritie, tumore amotis vena ferienda et repositio tentanda est.

§ 36.

Musculorum contracturas plane sic curabimus, ut supra de methodo topica in genere loquentes disertius exposuimus. (v. § 25 — 30)

§ 37.

Morbo autem funditus evulso non raro debilitas topica remanet; quae linimenti volatilis, linimenti saponato-complorati aliorumque similium medicaminum prudenti usu plerumque superatur.

Historia ancyloseos spuriae maxillae inferioris.

L. F., annorum quadraginta mulier, habitu corporis laxo et cachectico, aetate infantili scrophulosis glandularum tumoribus ac tinea laborabat. Pubertate ineunte his quidem libera erat, at glandulae colli frigore saepius intumescebant; regimine tamen diaphoretico, vel sponte sua pedetentim pristinam recuperabant integritatem. Annum decimum sextum agenti menstrua primum fluxere, dein per annum evanuere, tum vero rursus, quamvis parca, apparuerunt, et donec viro nuberet, nullo ordine, nunc largiora, nunc parciora, nunc molimina sola sese obtulerunt. Annos viginti quinque natae post coitum ulcera syphilitica ad partes genitales exorta sunt, quae, famam adversam verens, per sex hebdomades celavit; ingravescente inde malo, medico nescio cui se tradidit, qui hebdomades tres curatam, quod omnia syphilidis symptomata topica evanuerant, tanquam persanatam dimisit. Sed mense uno

post, cum ulcera syphilitica et condylomata, nullo coitu praegresso, in genitalibus rursus comparerent, ad eundem, quo paule ante usa erat, medicum rediit, qui hydrargyrum salivatione contempta non prius ingerere desiit, quam omnia infectionis signa oculis essent subducta. Hinc inde novem annos nullum contagii vestigium remansit. Tertio, postquam convaluerat, anno, viro iuveni nupsit; catemenia ex ordine proveniebant; at saepe doloribus artuum vexabatur. Praeter abortum, quem passa est, nullam amplius suscepit sobolem. Anno aetatis tricesimo quinto, nono post primam infectionem (neque novam subiisse se juramentis obstrinxit mulier) ulcera syphilitica in velo pendulo orta sunt, quae novem mensium spatio, postquam aliquas ossis palati particulas exscreaverat, hydrargyri usu sanata sunt. Salutem plane restitutam esse opinabatur, cum post menses tres doloribus osteocopis vehementissimis nocturnis affligeretur. Medicus, cuius tunc petiit auxilium, diaphoreticis dolores intra menses duos compescuit. At iam tumores duri in facie, praesertim circa nasum, e quo muci puriformis male olentis, striis sanguineis saepe commixti magna copia effluebat, in conspectum venerunt. Tumores brevi in vesiculas albicantes elati, quae sponte ruptae aquulam limpidam misere. Remediis quidem celeriter ulcuscula caecce cesserunt, sed nova sanatis vicina sese ex-

tulere, in quorum cura annus consumtus est; iterumque sanatam se perhibuit aegrota, ac nullo morbo nisi doloribus artuum sobinde infestata est. Anni MDCCCXV fine genae intumuerunt, paulatimque praecipue circa masseteres regionemque temporum indurescere visae sunt, quae durities paucis diebus ita increvit, ut initio anni insequentis contractura masseterum conspicua esset. Utriusque maxillae dentes continuo approximati ne tantum quidem distendi potuerunt, ut digitus minimus immitteretur. Superficies interna masseterum atque genae hac parte rigidae sentiebantur. Cibum solidum edere nequivit aegra, fluidum per dentium intervalla inhausit.

Rebus ita comparatis policlinici regii opem imploravit: mihique curanda tradita est. Originem quidem syphiliticam primum dissimulavit; sed morbi symptomata fontem sat aperte nobis ostenderunt.

At scrophulosus quoque habitus suam, libet minorem, tesseram ad morbi pertinaciam tribuere visus est. Maximi vero momenti luem veneream ratus, huius morbi antidotum cum resolventibus coniungere statui. Dedi igitur: (d. 26. mens. Mart.) ℞. calomeladis, sulphur. aurat. āā gr. ij. sacchar. alb. scrup. un. M. f. pulv. Disp. dos. sex. S. ter quotidie pulverem dimidium.

℞. extr. cicut. dr. ij, pulv. herb. cicut. q. s. ut f. pilul. Nro. 120. D. S. ter quotidie consumantur pilulae binae.

℞. spec. lignor. ph. pauper., stipit. dulcamar. ãã unc. duas. CC. M. D. S. ad infusum.

℞. ungt. alth., — hydrargyr. ciner. ãã unc. dimid. M. D. S. Ungnent., quo saepius de die genae infricentur.

His medicaminibus hebdomades aliquot usa ptyalismo laboravit; contractura insigniter imminuta est. Pulveri Plumeri atque unguento substituta calce antimonii sulphurata, reliqua medicamina continuabantur, quibus per mensem et quod excedit porrectis contractura plane evanuit. Fauces explorans maculas aliquot albidas et cicatrices septem, praeterea duo foramina, marginibus cicatrice obductis consanatisque, alterum ad sinistram uvulae partem, alterum superius anteriusque in velo palati situm et os perpetrans, e quo plures particulas osseas ejecisse se mulier affirmavit, uvulam exiguam et tenuem, vestigiis tamen ulcerum syphiliticorum destitutam inveni. Nulla amplius musculorum buccae contractura; aegrota os late aperire potuit; digitum inter dentes et musculos facili negotio immisi; at questa est de doloribus osteocopis, noctu inprimis violentis. Ceterum bene valuit. Menstrua ex ordine fluxere.

Cum vero cursus meus clinicus absolutus esset, d. decimo nono Maii aegrotam amico doctissimo Japhae tradidi, qui pilulas et species lignorum supra dictas pulveremque hunc dedit:

℞. calomel. gr. ij, camphor. gr. jv., op. pur.

gr. j., pulver gummi guajac., sacchar. alb. āā scrup. unum. M. f. pulv. Disp. dos. sex. S. Mane et vespero dimidiam pulveris partem. Quibus per menses duos adhibitis dolores osteocopi primo mitigati, dein plane cessaverunt; at aegrota rursus tensionem in movenda articulatione maxillari inter manducationem et oscitationem sensit; atque masseteris sinistri particulam aliquam prope articulum tumidam duramque invenit medens. Quamobrem frictiones ex unguento cinereo adhibendos curavit, reliquis medicamentis non neglectis.

Die duodecimo Augusti ultimo medicum adiit. Nam rebus domesticis coacta in oppidum vicinum mensibus duobus antea sese contulerat; sed policlinico maxime fisa de valetudine sua certiores nos identidem reddere non gravatur. Nullum tunc neque contracturae, neque dolorum osteocoporum vestigium; appetitus bonus, omnes corporis functiones normae respondentes; nihil denique erat, de quo quereretur. Eodem die sedecem millia passuum nullo incommodo confecit; omniaque remedia omisissemus, ni talis contagii fraudibus diffisi fuerimus.

Addere liceat, maritum, quamvis uxorem a lecti communione non excluserit, tamen contagio minime infectum fuisse.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Systema Brunonis multum damni dedit arti medicae, parum utilitatis.

II.

Non est remedium internum contra hydrophobiam.

III.

Lues venerea multos annos in corpore potest latere.

IV.

Lichenis parietini nulla efficacia in febre intermitteute.

V.

Febres intermittentes larvatae negandae sunt.

CURRICULUM VITAE
EX DECRETO
GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE BEROLINENSIS
ADJECTUM.

Ego Josephus Adolphus Ludovicus Brogi, anno MDCCCXCIV Posnaniae natus sum, patre Adamo Ludovico, matre Rebecca ex gente Stern. Postquam per annos quinque in gymnasio Posnaniensi litteris incubueram; a praeceptoribus Collegio summo commendatus, quod litterarum culturae in ducatu Warsaviensi praeerat, hujusce Collegii jussu anno 1810 Berolinum adii. Spem vero tunc animo susceptam mox bella gravissima fefellerunt. Annum agens sedecimum civibus academicis adscriptus studium medicinae prius amplecti nolui, quam humanitatis et philosophiae studio per biennium animum excoluissim et ad sacram

me satis praeparassem artem, cui vitam impendere constitueram.

Postea vero medicinae studio per quadriennium incumbens Botanicen apud cl. Willdenowium, Chemiam apud cl. Turtium, apud cl. Fischerum Physicen audivi. Cadavera secandi artem moderantibus viris illustriss. Rudolphio Knapeoque exercui. Ab hoc Osteologiam Splanchologiamque, ab illo anatomiam universam, physiologiam et anatomiam comparatam accepi. In pathologia generali illustriss. Reilium; in Therapia tum generali, tum speciali inque semiotice ac materia medica perillustriss. Hufelandium; in chirurgia generali, akiurgia, ophthalmologia illustriss. Graefium auctores secutus sum. In policlinico regio, Hufelando perillustriss., in noscomio Caritatis, illustriss. Hornio ducibus, postquam auscultando aliquamdiu adfueram, proprio Marte morbos curare tentavi. Jam absoluto tentamine et examine rigoroso in eo sum, ut sperem, hodieque benevolam Facultatem medicam, nullo, ni omnia me fallant, obstante impedimento, summos doctoris honores, defensa dissertatione, in me benigne collaturam, meque sanctis juramentis Asclepiadarum ordini obstricturam.